

PALAESTRA LATINA

SUMMARIUM

- CURRICULUM DIMETIENDUM, (E. Jové).
NOVA ET VETERA, (J. Bonet).
P. FRANCISCUS XAVERIUS REUSS, ((J. M.^a
Mir).
EPISTULARE COMMERCII: (F. Reuss)
CONLOQUIA LATINA
CURSUS GYMNASIICUS, (M. López de Zubiria)
AUTUMNUS, (J. M. Matteocci).
PER ORREM
BIBLIOGRAPIA, (E. Jové), (L. Fanlo), (H. Mar-
tija), (R. Pastó), (J. Jiménez)
PATRIA. (Miguel Caro) in operculis.
EXERCITATIONES SCHOLARES. in operculis.

Ordinarii atque Superiorum permissu

P A T R I A

Te toto, patria, ex animo veneramur amantes;
Tu nostro fixum pectore numen ines.
Per tu multa, dies quae dulcia miscet amaris,
Libavi, plusquam voce referre datur.
Non ego te clypeum dextramque rogabo potentem:
Nam satis umbra sinus hospitiumque mihi est.
Hoc tantum liceat, lacrimas tibi fundere ad aras,
Nudum posse domi vivere, posse mori.
Non vis, non splendor, non gignunt munera amorem;
Ex alia noster stirpite floret amor.
Longe alia hi nostri formantur origine nexus,
Vincula quae poterit rumpere nulla manus
Ad matrem injussi nullaque ambage venimus;
Sentio me partem sanguinis esse tui.



*Patria, te adoro en mi silencio mudo
Y temo profanar tu nombre santo;
Por ti he llorado i padecido tanto
Como lengua mortal decir no pudo.
No te pido el amparo de tu escudo
Sino la dulce sombra de tu manto,
Quiero en tu seno derramar mi llanto,
Vivir, morir en ti pobre y desnudo.
Ni poder, ni esplendor, ni lozanía
Son razones de amar; otro es el lazo
Que nadie nunca desatar podría.
Amo yo por instinto tu regazo:
Madre eres tú de la familia mía,
Patria, de tus entrañas soy pedazo.*

Miguel Caro



PALAESTR LATINA

MENSTRUUS DE LATINITATE COMMENTARIUS

Pretium subnotationis annuae, solutione antelata, est 6 pessetarum in Hispania, 7 in America et Lusitania, 8 in reliquis civitatibus. Pretium mittatur oportet ad Administratorem: CERVENA (Lérida) - Universidad - España.

CURRICULUM DIMETIENDUM

Viatores appellamur quicumque aura fruimur vitali, quam prodigus spirat Deus ubique terrarum. Omnes quidem gradimur et natura eandem in metam, diversis tamen itineribus. Est qui gressus faciat terram scindendo et sulcis mandando semina quae spicas, panem cotidianum, praebeant mortalibus. Est qui quasi sursum versum ambulat domus in altum et mansiones exstruendo ut contra tempestates et bestiarum incursus humano generi confugium paret. Est qui vel sedendo progrediatur in zothea sua libros evolvendo et calamum in litteras super cartas effundendo ut mentibus hominum veritatem generet, animorum alimentum. Est tandem qui nobilioribus adfectus causis caelesti rerum contemplationi vacet et divinis ministeriis, quibus et sibi et proximis facilem sternat viam in aeternam beatitudinem.

Quis autem centum et mille numeret in humanis munera, totidem semitas tractus describentes, quos alium et alium sequi oportet Dei providentiam impleturum? Nos in lectorum commodum et utilitatem hoc nobis sumpsimus munus PALAESTRAM LATINAM aperiendi quam satis frequentatam adhuc animadvertimus non palaestritis tantum sed viris claris, qui exspectatorum partes suscipientes, magnum decus ludis nostris contulerunt.

Apertas iterum post aestiva otia harenas luctatorum ostendimus, atque exspectatorum dispositas sedes. Qui tum in primo, tum in altero peracto curriculo magnam voluptatem exhauserunt, certe in hoc, quod hodie suscipimus, curriculo per annum dimetiendo non minus capient voluptatis, cum praeter ea, quae adhuc in scaenam prodierunt, satis illa quidem probata, res quasdam philologicas obferemus quae mentes multorum gratissime conlustrabunt. Id enim

contigit quod sperabamus: qui solum expectatores adhuc erant in tam serio ludo, hodie agere non dubitant et ideo operam suam promittunt Palaestrae praestituros quam aliis commentariis jam saepius adhibuerunt. Eorum nomina possum hic proponere, sed ea malo quasi inopinato lectoribus occurrere ut placidior sit eorum admiratio.


Ad ea, inquam, quae adhuc lectorum oculos pascebant exercitationes nempe scholares, colloquia, epistulae, grammaticalia, ludicra, carmina, accedent in posterum quaestiunculae philologicae quae curiositatem non paucam suscitabunt.

Faxit Deus ut ita feliciter curriculum novum hoc finiamus ut in praesens auspicamur. Quod nobis et sociis omnibus bene vertat!

EMMANUEL JOVÉ, C. M. F.

NOVA ET VETERA

Manus ejusque partes



En tibi *aversa* (1) et *adversa* (2) manusque propriae sic dicitur cum aperta, deducta, laxa est a Graeco vocabulo *μανός*; manus clausa vocatur *pugnus*. Est extrema brachii pars in volam seu palmam (3) et digitos desinens. *Digiti* singulas *ungues* (4) habent et ternos *articulos* (5), excepto pollice, qui tantum binos. In extrema manus parte qua cum brachio jungitur

invenitur *carpus* (6) (muñeca). *Digitorum* primus *pollex* (7) dicitur quod eo maxime pollet manus; secundus *index* (8) quod eo utimur ad aliquid ostendendum, qui et *salutaris*; tertius *medius* (9) qui et *summus*; quartus *annularis* (10) qui a ferendo anulo nomen habuit qui et *medicinalis*; quintus *minimus* (11) et vulgo *auricularis*. *Manicae* (12) frequentius quidem occurrunt de partibus vestis quibus brachia conteguntur (mangas), sed etiam sunt involucra quae totam manum protegunt de quibus loquebatur Plinius Caec. Secundus Epist., III, 5: «Ad latus notarius cum libro et pugillaribus, cujus manus hieme *manicis* munebantur. *Digitale* vel *digitabulum* appellatur digitorum operimentum.»

De manus etymo ridicula Perotti sententia qui a *manando* originem trahere contendit eo quod ex brachiis quasi manet vel quod ex ea manent digiti.

Cujus rei sit unum hoc contrarium argumentum quod *a* in mánando habet quantitatē longam, dum brevis est in mánu. Hac quidem ratione excluditur etiam explicatio Isidori qua *a* munere trahitur, quia omnia paene corporis munia exsequatur.

Vola non confunditur omnino cum *palma*, sed est medietas ejus. Haec de pede non dicitur, illa quidem. Est ut videtur a Βολή *jactus* quia hac parte comprehenditur quod projicimus. *Palma* vero est a παλάμη quo a Graecis tum manus tota significatur. Eliditur *a* quomodo a κυπάρισσοζ *cupressus*, a γάλος *glos*. *Palmus* est mensurae genus, quod manu explicata fit. Est *digitus* a δείκο quasi δείκετοζ a monstrando, quia digitis monstramus. Singuli vero digiti sacrafi erant deo: pollex Veneri sacer; index sive salutaris, Marti; medius vel summus, Saturno; anularis, quem juniores medicum etiam nominant, Soli; minimus, quem vulgus auricularem vocat, Mercurio.

Unguis est corneum illud, quod in extremis digitis enascitur non solum in manibus sed etiam in pedibus humanis et ceterorum animalium, quae pedum digitos habent separatos. Recentiores vocem derivant a verbo Sanscrito *ak* quod significat *curvare*, unde *ankas*=uncus et *nakkam*=unguis.

Articuli sunt parvi artus vel nodi seu juncturae unius ossis vel membri cum alio in animalium corporibus. *Carpus* vero a lexicographis ducitur ex lingua Hebraica aut Graeca, nec video cur inmediate a *carpendo* trahere nolint, quae vox nihil aliud significat quam aliquid manu leviter et paulatim avellere et auferre, quod male quis faciat ossiculis carens quae carpum componunt.

Locutiones nonnullas usu communiter receptas invenimus quae manibus et digitis nituntur; ex his trademus lectoribus memoriae utilissime mandandas.

Esse in manibus, prae manu vel prae manibus, inter manus, sub manu vel sub manum, ad manum=in promptu esse.

Venire ad manum, in manus=occurrere
Dare, dedere, tradere e manu vel de manu in manum=manu ipsa praebere
Succedere sub manus=succedere feliciter.

Per manum = per vim.

Manibus pedibusque = omni conatu.

Plena manu = copiose.

Utraque manu = libenter.

Manibus aequis = aequo Marte.

Longa vel brevi manu = sine ambagibus vel per ambages.

Dare vel dedere manus = victum se fateri.

Tenere aliquid manu = compertum aliquid habere.

Manum non vertere = (no mover ni pie ni mano).

Manum admovere=(arrimar el hombro)

Manum admoventi sunt vocanda numina (Proverbio) = (a Dios rogando

y con el mazo dando).

Prudens in flammam manum inmitto
= sciens me discrimini objicere.

Manum habere sub palio = otio languere.

Manus in sinu habere = parcere nimium pecuniae.

Manum fricat vel lavat manus = beneficium beneficio provocatur.

Digito caelum attingere = summe beatum se putare.

Digitum tollere = se victum fateri.

Digito monstrari = aliqua re insignem esse.

Digitis vel digitos concrepare = creptum edere pollice et medio.

Ab unguibus ad verticem = ab imo ad summum.

A tenero ungui vel a teneris unguiculis = a pueritia.

Nec vola nec vestigium = nullum indicium exstat.

Involare aliquid = auferre, furari, gallice *voler*.

JOSEPHUS BONET, C. M. F.

P. Franciscus Xaverius Reuss

Memoria repetentes quod divinus Magister discipulis praecepit: «*Conligite quae superaverunt fragmenta ne pereant*»⁽¹⁾ inducti et nos sumus ut quaedam litteraria fragmenta conligamus nondum publici juris facta clarissimi viri P. Francisci Xaverii Reuss. Plures jucundissima suavitate adlecti quam ex illius carminibus summa aviditate velut ex artificioso mellis favo suxerant, familiares epistulas placido lumine carminibus suis adjectas viderent, quas nos eis sumus oblaturi, quasque omnes miserat cl. v. Josepho Fonts et illi et nobis amicissimo.

Antequam epistularum seriem inimus, liceat nobis tanti atque inter Latinos poëtas summe honestati viri aliquas lectorum animis notas biographicas tradere.

Illius natale oppidum fuit *Bergheim* Alsaticae regionis. Peractis humanitatis studiis in iisque valde eruditus, ac suaviter motus exemplo sodalium Congregationis Sanctissimi Redemptoris, aeternam sedem sibi adpetens securius comparare, in eandem Societatem statuit cooptari. Hic dum animum ad mentem Patris Legiferi temperat, divinas pariter et humanas excolit disciplinas magnosque facit progressus in linguarum studio ut facile eas addiscere et cum aliis conloqui posset; Hispanicam ita didicit ut nostra lingua legere posset opus clarissimi Cervantesii. At, praeter ceteros, sermo Latinus Francisco Reuss semper cordi fuit, et familiariter poëtis utebatur quos summa reverentia colebat pariter atque interpretabatur. His praeclaris instructus virtutibus Superiorum Congregationis oculos ad se convertit qui illum a secretis Supremi Moderatoris elegerint anno 1868, cum duos tantum annos sacri Sacerdotii muneribus fungeretur. Cumque hoc arduum munus Romae perageret, in ea sacra litterarum arce, ardentius operam navare studuit sacris et profanis disciplinis quas usque ad mortem in deliciis habuit. In poëtica vero facultate adeo existit mirabilis, tantumque in Latinis Musis convertit studium ut ejus numeri sponte fluere videntur, ita ut clarus vir Marcus Galdi sic eum laudibus prosequeretur; ⁽²⁾ «In rerum varietate varietas metrorum, quae omnia pro re numeris exornanda sive celebranda, opportuno iudicio eliguntur. Strophæ enim alcaica, elatior sublimiorque, elatiora ac sublimiora convestit argumenta; sapphica sensus animi motusque perdulces et ea quae caritatis sunt, callidissima interpret, effert; distichon quamcumque rem, quemcumque eventum, vel levem vel insignem, optime describit; hymnus, perbrevis forma conclusus

(1) Johan. 6, 12. — (2) Alma Roma mens, septem. 1922.

martyres et heroës religionis nostrae sanctissimae extollit. In qua varietate metrorum cum omnia cum re proposita convenienter congruant, electa invenies verba, suaves imagines, comparationes idoneas, sermonem purissimum. Quin etiam ea est simplicitas versus, ea facilitas et prope dixerim effusio, ut nihil quaesiti, nihil simulati vel putidi redoleat; legentes vero, numerorum capti simplicitate, desinentia verba sive exitum uniuscujusque strophae fere occupant et interiorum concentum percipiunt. Quod est verae poësis; quippe quae non aures offendat, non mentis sive intellegentiae intentionem requirat, sed sponte animum adloquatur eumque totum obtupescentem devinciatur. Et rursus: «Placet in versu Reuss nescio quae gratia et suavitas, ex litteris inter se fere jocantibus, quae ἀρμονία quae dicitur imitatrix, efficiunt, aut consonantibus similiter incipientibus effecta, ut in c. XXXIII. *Raptus e terris radiante curru*». Quas quidem laudes recte suaviloquenti nostro poëtae attributas esse carmina ostendunt quorum plura magna laude in certamine Amstelodamensi ornata sunt, sicut etiam illa duo volumina *Tentamina poëtica* (an. 1911) et *Nova tentamina poëtica* (an. 1922), in quibus sacra et profana sensa, divino quodam adflatus spiritu suaviter effudit; neque versionem omittam fabularum Johannis La Fontaine, nec aliam versionem carminum Italicorum S. Alfonsi M.^{ae} de Ligorio, quae Latino ornata numero ipse concinnavit. Quae omnia summo honore apud liberalium artium cultores habita sunt.

Itaque qui apud doctiores homines in musarum cultu magnopere aestimabatur, non minore quidem reverentia colebatur apud omnes qui aliquam cum eo consuetudinem inierunt, propter suam et humanitatem et animi modestiam. «In carminibus patet descripta, velut votiva tabella, omnis Reuss vita; quae fuit simplex, candore perfusa, paene sui inmenor et contemnens, in honoribus muneribusque humillima, pietatis plena, alieno commodo consulens, liberalium artium studio consecrata». ⁽¹⁾ Cumque ad multam senectam vitam protraxisset, morbo diabetico confectus die 13 mensis Februarii anni 1925 in pace Domini concessit.

JOSEPHUS M.^a MIR, C. M. F.

Continenter sequitur ejus epistula prima:

(1) Alma Roma, mens. aprili, 1925.

Epistularum Commercium

Franciscus Reuss SS. Red. Dri. Josepho Fontis, S. P. D.

Roma, ⁽¹⁾ die 8 Mart. 1911.

Adm. Rvde. Domine:

Gratias tibi ago pro tua epistula data die 19 sup. mensis et pro sensibus eximiae benevolentiae nimiaeque observantiae quos erga me foves. Haec epistula modo in manus meas pervenit, postquam moderator «Vocis Urbicae» ⁽²⁾ eam ad me direxerat.

Ut tibi gratum meum animum patefaciam mitto ad te postremum, quod concinnavi, carmen in quo Summo Pontifici Pio X in ejus festum nominale Sti. Josephi fausta quaeque adprecor, quae tamen, eheu, admixtas habent graves animi sollicitudines. Carmen hoc, abhinc paucis diebus, commentario inseretur cui a Voce Urbis nomen.

Proximo mense aliud ibi carmen vulgabo, nempe unum ex quatuor quae ad certamen Hoefftianum ⁽³⁾ Amstelodamum superiore aestate transmissi; cujus certaminis exitus innotescet intra sex aut septem dies. Nescio quid iudices illi de meis versibus dicturi sint. Vereor tamen, cum iidem sint ad unum omnes Calvinistae, ac mea carmina plus minus sacra sint ac religiosa, vereor, dico, ne iudicibus argumenta a me tractata taedio fuerint. In uno carmine ago de Virgine Lauretana; in altero de Monte S. Othiliae celeberrimo Alsaticae meae patriae Sanctuario; in tertio de quibusdam Sororibus religiosis ibidem scholarum magistris; in quarto tandem, de quadringentis orphanis in clade Messanensi et Rhegiensi superstitibus a Pio X Pont. Max. in conspectum admissis,

En aliquot versus ex priore carmine in quo metro usus sum quem Horatius in sua oda adhibuit de Republica Romana: *O navis, referent in mari te novi—Fluctus, cet.*

Lauretana Domus grande Sacrarium
 cujus frons tumidum prospicit Hadriam!
 salve, patria Christi
 sedes, cella Deiparae.
 Salve, magna diu gloria Nazarae
 nunc insigne decus littoris Itali,

(1) Locus unde; alii tum veteres tum recentiores locum ubi praeferunt, non tamen praeferendum. —(2) Commentarius «Vox Urbis» Roma prodit ab Kal. Novemb. anni 1888. Initio fuit bimensilis; ab anno autem septimo mensuratus jam fuit usque ad annum 1913 in quo esse desit. —(3) De hoc certamine confert Palaestram Lat. no I, pag. 31.

quo te caelicolarum
advexit globus aliger.

Allato Gabriel praefuit agmini,
saepe auditus AVE fundere melleum,
divi quod paraninphus
olim Flaminis edidit, cet...

Hoc anno mens mihi est in unum conligere volumen, quae a decenio insolutis foliis carmina Latina vulgavi, numero fere centum. ⁽¹⁾ Erit illud tertium volumen; nam prius jam edidi Latinis versibus reditos, *hymnos Italicos Sti. Alfonsi*, legiferi mei parentis, uti etiam centum et quinquaginta fabulas e Gallica lingua in Latinos conversas dystichos Johannis Lafontaine.

Habe me, quaeso, Deo commendatum dum et ego tui memor ero ad aram.

Addmus. tibi in Xto.

P. FRANCISCUS REUSS, C. SS. Red.

P. E. Olim i. e. ante 42 annos etiam Hispanicam linguam aliquandiu didici ita ut legere possem immortale opus Cervantesii vestri, sed tum Romam vocatus paulatim dedidici quae memoria tenebam.

Inter Scholares

—Oportet magnopere vel in orthographia non errare.

—De hac re tecum sum; convenit quidem inter nos.

—Id ego dixeram, quod non semel errare te vidi, da veniam amico, in separandis syllabis ad extremas lineas.

Itane vero?

—Ita enimvero. Satis obsoletum est quod docebant veteres grammatici, neque ulla ratione constabat.

—Quid ergo est mihi corrigendum?

—Recte dividis cum in vocabulis compositis separas syllabas per compositionis elementa.

—Non quod recte facio, sed quod male; id magis interest mea.

—Id protinus ostendam. Una consona quae interest vocalibus cum posteriore est scribenda, quod tu non faciebas adhuc sed contrarium: sic a-mi-cus, re-li-qui-ae, non am-ic-us, rel-iqu-iae, quod veteres docebant.

—Commodior quidem is dividendi modus et magis nostrae linguae consentaneus, sed aliud didiceram in primis scholis.

(1) Volumen de quo agitur inscribitur «Tentamina Poetica» editum eo anno.

Conloquia Latina

Iter ad praedium

ANTONIUS et PETRUS

- A.—*Euge, mi Petre! Quam dudum te non vidi!*
- P.—*Quindecim abhinc dies, ni fallor, Antoni.*
- A.—*Ita vero est. Quid autem? Valuisti'has hebdomadas duas?*
- P.—*Optime valui, Dei Deiparaeque beneficio. Quidni valerem in nostro praedio, qui locus totus purissimis abundat deliciis, quem colunt fratres officiosissimi?*
- A.—*Quandonam, rogo, eo te contulisti?*
- P.—*Duos post dies quam te domi conveneram.*
- A.—*Teneo equidem. Ipse quoque ad praedium optabam hoc anno rusticatum venire, sed negotiolum quoddam Cervariae me tenuit.*
- P.—*Et vero in civitate earundem rerum crescit in dies satietas. Post novem menses, igitur. Ad insequentem aestatem est tibi otium differendum, parum enim temporis dabitur hoc curriculo jam inchoato.*
- A.—*Attamen intra annum Cervaria illuc me conferam saltem tertio quoque mense. Dic mihi, quaeso, qua praestat transire, per stratam, an per Furcas ut commodius fiat iter.*
- P.—*Multi Furcarum callem adripiunt quod tota strata automulos inveniant, omnia quaquaversum pulvere conspergentes. Postea ad stratam descendunt, Vergosio procedunt et ad Aedes Comitales accedentes, ex strata iterum effugiunt et reliquo itinere, in clivum leviter ascendentes, praedium tandem adveniunt.*
- A.—*Bene habet. In reditione, postquam requievero, eadem revertar via, nonne?*
- P.—*Si placet jucundas auras carpere, licebit tibi ex praedio montem petere ad*

Ida a la quinta

ANTONIO Y PEDRO.

- A.—¡Hola, Pedro! ¡Tanto tiempo sin verte!
- P.—Quince días, si no me engaño.
- A.—Eso es. ¿Y qué? ¿Has estado bueno estas dos semanas?
- P.—Muy bueno, gracias a Dios y a su Madre santísima. ¿Y cómo no había de estarlo en nuestra quinta, lugar de tan purísimos encantos y en compañía de hermanos tan obsequiosos?
- A.—Pues ¿cuándo fuiste allá?
- P.—Dos días después de visitarte.
- A.—Ya me acuerdo; también yo deseaba hacer este año vida de campo en la quinta, pero un asuntillo me ha detenido en Cervera.
- P.—Realmente en la ciudad el hastío de ver unas mismas cosas va creciendo cada día. Pues bien, hasta pasados nueve meses. Para el verano siguiente habrás de diferir las vacaciones, ya que poco tiempo se te dará en este curso ya comenzado.
- A.—Entre año, con todo, pienso ir allá desde Cervera a lo menos cada tres meses. Y, dime, cuál es el camino mejor, el de la carretera o el de las Forcas, para que el viaje se haga más cómodo.
- P.—Muchos prefieren el de las Forcas, porque en la carretera encuentran a cada paso automóviles que lo llenan todo de polvo. Cuando no pueden más, bajan a la carretera, pasan por Vergós; llegando a la Condal, dejan otra vez la carretera y ganando lo restante del camino, llegan a la quinta.
- A.—Muy bien. Para la vuelta ¿habré de tomar el mismo camino?
- P.—Si te gusta respirar aires puros, puedes desde la quinta subir al monte,

cujus jugum iter est quod Vergosium usque pervenit. Inde ad domum eadem regredieris via.

cerca de cuya cima hay un camino que desciende hacia Vergós. Desde allí podrás volver a casa por el camino de antes.

A. — *Non numquam ita fiet, ut spero. Vale, mi Petre.*

A. — Espero que podré hacerlo así alguna vez. Adiós, Pedro.

CURSUS GYMNASTICUS

VERGILII ECLOGA III

MENALCAS, DAMOETAS atque PALAEMON

M. — Dic mihi, Damoetas, cujum pecus? an Meliboei?

D. — Non, verum Aegonis; nuper mihi tradidit Aegon.

M. — Infelix o semper ovis pecus! ipse Neeram dum fovet ac ne me sibi praeferat illa veretur, hic alienus ovis custos bis mulget in hora;
et sucus pecori et lac subducitur agnis!

5

Damoetas: Damoetas atque Menalcas, pastores se primum mutuis impetunt conviciis; deinde Palaemone iudice, amoebaei carminis lege certamen ineunt, neuter tamen superatur sed uterque, Palaemonis sententia, alteri se parem facit. *Cujum:* Adjectivum quod ex genitivo «cujus» derivatur. In nominativo, accusativo et ablativo fem. singularis atque in nominativo et accusativo fem. pluralis tantum adhibetur. *An Meliboei?:* Dubitatio in ancipitem partem. Meliboei nomine ceteri pastores Mantuani intelleguntur. *Tradere:* Committere seu credere. *Infelix o semper:* Pulcherrima Prosopopoeja. *Ipsa:* Scilicet Aegon. *Dum fovet:* Metaphora ab avibus ducta, pullos pennis calefacientibus aut ova incubantibus. *Hic:* Damoetas, pastor musicae peritissimus. *Alienus custos:* Mercenarius. *Bis in hora:* Tempus intra quod res quaedam pluries repetitur, ponitur in ablat. cum *in.* *Sucus:* Humor naturalis. *Subducere:* Clam tollere seu subtrahere.

D. — *Parcius ista viris tamen objicienda memento.*

Novimus et qui te transversa tuentibus hircis et quo sed faciles nimphae risere, sacello.

Tunc, credo, cum me bustum videre Miconis
atque mala vitis incidere falce novellas.

10

Ista: Turpia facinora. *Parcius:* Moderatius. *Objicienda,* supple. esse. *Transversa tuentibus:* In transversum, (mirar de reojo) id est, non dignantibus te aspicere. *Qui:* In plurali. *Facilis:* Laetus, benignus. *Sacellum:* Locus diis dicatus. *Videre:* Non est modus infiniti sed praeteritum perfectum. *Mala:* Nam falx hic applicatur ad usum transversum.

D. — Aut hic ad veteres fagos cum Daphnidis arcum
fregisti et calamos: quae tu, perverse Menalca,
et cum vidisti puero donata, dolebas,
et si non aliqua nocuisses, mortuus esses. 15

M. — Quid domini facient, audent cum talia fures?
non ego te vidi, Damonis, pessime, caprum
excipere insidiis, multum latrante Lycisca?
et cum clamarem quo nunc se prorripit ille?
Tityre, coge pecus! tu post carecta latebas. 20

Ad: junto a. Puero: Daphnidi. Aliqua: in ablativo; subintellegitur ratione; alii tamen putant esse in acc.; de quantitate ejus vide PALAESTRA LAT. ann. II p. 107 et sqq. Mortuus esses: nempe periisses invidia. Quid domini facient: Quid non ausurus est erus Aegon, ubi latrones haec audent? Non ego te vidi: Testis oculatus ego ipse fui. Excipere insidiis: furari. Lycisca: Canis ex lupo et cane natus. Quo: adverbium. Ille: fur. Tityre: ovium custos. Cogere: Congregare. Non ego; Furis qui ad furandum pergīt atque pastoris de ovibus solliciti vivida descriptio. Carecta: Loca caricibus plena.

D. — An mihi cantando victus non redderet ille
Quem mea carminibus meruisset fistula caprum?
si nescis, meus ille caper fuit; et mihi Damon
ipse fatebatur; sed reddere posse negabat. 25

M. — Cantando tu illum? Aut unquam tibi fistula cera
juncta fuit? non tu in triviis, indocte, solebas
stridenti miserum stipula disperdere carmen?

Cantando: Modum exprimit. Quem... caprum: Interdum relativum praedit antecedenti, quam elegantissime. Nescis: In orationibus conditionalibus indicativus usurpatur modus cum condicio ut certa affirmatur. Tu... illum: Subauditur vicisti. Tibi fuit: Sum cum dativo multoties a nobis vertitur pro habere. In triviis: In locis qua tres viae ducunt. Fistula cera juncta: Perelegans metaphora. Stipula stridenti: Participia praesentis cum adhibentur ut vera participia desinunt in e; cum autem sunt mera adjectiva in i ut in adlato exemplo. Disperdere carmen: Inanem instrumenti musici sonum optime exprimit.

D. — Vis, ergo, inter nos quid possit uterque vicissim
experiamur? ego hanc vitulam (ne forte recusses,
bis venit ad mulctam, binos alit ubere fetus) 30
depono: tu dic, mecum quo pignore certes.

Ergo: non nunquam postponitur, maxime in transitionibus. Quid possit: In subjunctivo interrogationes indirectae seu obliquae. Experiamur: Per elegantiam omittitur particula ut. Bis venit: mane, scilicet, et vespere. Ad mulctam: Vas in quo mulgetur. Binos alit: Singulis diebus duos fetus. Depono: Veteres sponsionibus certabant,

earum arbitros constituebant apud quos pignora deponebant. *Quo pignore certes: (Qué te juegas)*

M – De grege non ausim quicquam deponere tecum.
 Est mihi namque domi pater, est injusta noverca;
 bisque die numerant ambo pecus, alter et haedos. 35
 Verum id quod multo tute ipse fatebere majus
 (insanire libet quoniam tibi) pocula ponam
 fagina caelatum divini opus Alcimedontis;
 lenta quibus torno facili superaddita vitis
 diffusos edera vestit pallente corymbos.
 In medio duo signa, Conon et quis fuit alter, 40
 descripsit radio totum qui gentibus orbem,
 tempora quae messor, quae curvus arator haberet?
 Necdum illis labra admovi sed condita servo.

Ausim: Pro audeam - archaismus usitatus. De grege: Res seu materia de qua agitur, effertur praepositione de, interdum super cum ablativo. Domi: Genitivus locativus. Est mihi: Sum tertium postulat casum cum possessionem significat. Alter: Cum de duobus loquimur, non secundus sed alter usurpatur. Tute: Ad vim augendam secundae personae singulari additur enclitica «te». Poculum: Vas caelatum et exculptum. Alcimedon: Praestantissimus artifex. Pocula... opus: Appositionis casus. Lentus: Flexibilis. Diffusus: Implicatus. Vestire: Amplecti. Superadditus: Vernacula lingua «de relieve». Corymbus: Ederae fructus. Facili torno: Qualitatem significat. Signum: Personae imago. Conon: Insignis Mathematicus. Et quis fuit alter: Archimedes fuisse videtur. Radius: Virga geometrica. Orbem... tempora: Complementum directum verbi «descripsit». Admovere: Appropinquare. Necdum illis: Vivida imago quae poculorum pulcritudinem patefacit.

P. – Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit
 et molli circum est ansas amplexus acantho, 45
 Orpheaque in medio posuit silvasque sequentes;
 necdum illis labra admovi sed condita servo:
 si ad vitulam spectes, nihil est quod pocula laudes.

Idem: non ipse, quod pronomen usitatur in sensu absoluto; de Alcimedonte antea poeta locutus fuerat. – Mollis: flexibilis. – Orpheaque: id est, Orphei imaginem. Accusativus Graeco-latinus secundae declinationis. – Sequentes: silvae tam graphice sunt depictae ut ipsum sequi viderentur. Hyperbole. – Nihil quod laudes: in locutionibus indefinitis, est qui... et in negativis ejusdem significationis, nihil est quod cet... relativum subjunctivum postulat.

MACARIUS LÓPEZ DE ZUBÍRIA. C. M. F.

A U T U M N U S

Aestatis sensim concessit torridus ardor
 extremumque polum tarda canicula adit.
 Solvuntur constricta aquilonis vincula saevi
 pacificumque suum conmovet aetra sinum.
 Non splendet vario vernans natura colore
 nec soli fert umbram obvia planta virens.
 Non curvis pendet pinguis nunc sentibus uva,
 sed folia ex ramis pensula sicca sonant.
 Non fructu culmus gravibus se flectit opimo
 sed stuppis, sectis frugibus, horret ager.
 Plantae haud flava regunt flexis sua poma lacertis
 sed vento undantes prorsus honore carent.
 Vivaces volucres fugitivae abiere gregatim
 postremumque alto de arce dedere «vale»
 Desertamque suam patriam passerculus unus
 non liquit, rursus cum adforet acre gelu,
 sed domui accedit glacieque diebus acervis
 exurieque gemens hinc brevis inde volat.
 In silvis nudis lignorum pondere onustus
 crure infirmo errat conqueriturque senex,
 sub pedibus folia immiscentur murmure multo
 insequiturque vagans ante retroque canis.
 Falco rapax passis alis animoque minaci
 lentos immobilis signat in arce sinus
 Fumosis tectis multa et caligine pagum
 obductum, medium vallis opaca tenet.
 Conlectos pueros laetum disponit ad ignem
 intentisque refert bellaque monstraque anus
 dum digiti assidui versantur stamina circum
 lanigeraque colo fila retorta trahunt.
 Rusticus elatum umero defigit aratrum
 hibernumque manus occupat utile opus.
 Subjectis pecudum stabulis oviumque boumque
 altam percurrit vox repetita domum.
 Montibus interea celsis hiemalis amictus
 descendit niveus cunctaque pone tegit.

Jos. M. Matteocci, C. M. F.

Albani in Italia.

Per orbem

Dr. A. Griera, Pbtr. Palaestra Latina laetanter exultat ob titulum *Honoris causa* nostro addictissimo amico A. Griera concessum ab Universitate Würceburgensi. Tanti viri meritum praesertim in re philologica Romanica nemo est qui ignorat. Pergratum nobis nostrisque lectoribus erit ejus graves sententias in columnis commentarii nostri percipere. Interim hic gratulationem nostram constare volumus.

Studia Latinitatis in Civitatibus Confoederatis Americae. Materialismi fama, qua Civitates Confoederatae Americae nostris diebus inustae sunt, credere quempiam adducet apud cives hujus Nationis nullam humanioribus litteris operam dari. Nihil tamen minus; nam praeter linguam Graecam, quae adhuc parvum habuit incrementum, studium linguae Latii praecipuum in amore sapientium hujus magnae Nationis obtinet locum. Cujus rei gratia aliqua in medium adferre juvat, quae ad fovendam Latinitatem fiunt, ut nobis in stimulum prosint et exemplum.

Ad fomentum Latinitatis plures exstant associationes, quarum praecipua *«American Classical League»* Neo-Eboraci stabilita, caput omnium associationum quae in plures locales divisiones dispescitur. Nam praeter *«Mediaeval Academy of America»*, *«American Council of Learned Societies»*, et *«American Philological Association»* *«American Academy in Rome»* et *«Linguistic Society of America»*, quarum fines omnibus noti sunt, exstant hae praecipuae locales subdivisiones: *«Classical Association of the Middlewest and of the South»*,

«Classical Association of the Pacific Coast and California», *«Classical Association of the Atlantic States»*. Haec classica Societas late diffusa anno 1906 pronuntiationem classicam seu historicam linguae Latinae unice admittendam inter socios decrevit. Quod consilium susceperunt eodem anno Universitates Oxfordensis et Cambridgensis. Singulis mensibus ab Octobri usque ad Majum in lucem edit *«Latin Notes»*, quae gratis omnibus sociis mittitur. Bis millenarium Vergilianum magno cum ardore celebravit in scholis lectionibus, collationibus, expositionibus, cet. et praesertim duobus itineribus in Italiam habitis. Verum opus hujus Associationis abs dubio praecipuum est *«Report of the Cassical Investigation of 1920»* de quo 33000 exemplaria gratis distributa sunt. Quae omnia, praeter alia plura quae dici possunt, studium Latinitatis in Civitatibus Confoederatis Americae satis quidem excoli nobis confirmant.

Studium Latinitatis apud Polon. Mense Martio anni currentis Congessus Poloniae legem statuit, qua studium linguae Latinae obligatorium, spatio 4 annorum, omnibus Institutis publicis evadit. Quae lex vigere coepit principio hujus curriculi. Praeterea Status Polonorum tam professores quam alumnos stimulare magnopere curat praecipue itineribus scientificis in Italiam aut Graeciam versus, impensas viae magna ex parte persolvens. Ad hunc diem complures jam excursions factae sunt; scilicet, in Graeciam, tres; in Italiam vero duae tam a professoribus quam ab alumnis, sub directione tamen alicujus viri singulariter docti.

Bibliographia

Adolfo Gandiglio. *Grammatica Latina ad uso del ginnasi e del licei.* — *Teorica degli elementi e teorica delle parole.* — Bologna. — Nicolà Zanichelli.

Victorii Pontonii vestigiis insistentis qui grammaticam Graecam cum respondentibus exercitiis ediderat, atque illam vulgo acceptissimam, Adulfus Gandiglio, clarissimus de re Latina scriptor gymnasiis atque liceis opus obtulit satis eruditum. Nihil hinc de syntaxi Latina quae illius grammaticae est necessarium complementum et tria volumina complectitur, sed de grammatica Latina tantum dicam in duas partes distributa. In prima quidem parte quae est de elementorum theoria praeter cetera placet quidem admississe Gandiglium distinctionem graphicam inter *U u* vocales et *V v* consonantes et similiter inter *I i* et *J j* quae quidem distinctio non solum commodior est, sed et perfectio in lingua Latina, quamvis recens inventa, minime aspernanda. Displicet autem quod de pronuntiatione agens, relicta historia quam bene novit, ut patet ex omnibus, praeiudiciis cedit gentis Italicae, non tamen in cunctis ut in *nihil et mihi* quae pronuntiare *nihil et miki* concedere non audet.

In altera parte nihil non investigat et perscrutatur in flexione nominum et verborum et in reliquiis partibus orationis invariabilibus, ita ut vere ad primas et etiam secundas gymnasiales aulas, sine prudenti et discreto praeeptore, magis perturbari quam adjuvari possint alumni qui huiusmodi grammatica debeant informari. Contra autem non superiorum graduum alumni, sed et ipsi praeeptores ex

consulta Gandiglii grammatica semper magnam capient utilitatem. Volumen hoc totam morphologiam complectitur et regularem et irregularem in 365 pagellis quibus accedit duplex specialis index verborum conjugationis tum regularis tum irregularis et omnium aliarum rerum.

Adolfo Gandiglio. — *Morfologia regolare della lingua Latina ad uso della prima classe del ginnasio.* — Nicolà Zanichelli. — Bologna.

Volumen hoc 116 paginarum magna ex parte morphologicas formas regulares continet grammaticae Latinae superius recensitae. Utile erit potissimum alumnis primae classis qui rem totam ad eos pertinentem compendio habebunt atque in quibusdam rebus perfectiorem. Praeterea in eo regulas invenient numeratas secundum exercitiorum volumen quod seorsum editum est de quo inferius dicemus.

Adolfo Gandiglio. — *Morfologia irregolare e compimento della Morfologia regolare.* — Nicolà Zanichelli. — Bologna.

Ad alteram classem gymnasialem pertinet hoc volumen 158 paginarum quod sicut praecedens editum est ut pro grammatica esset alumnis. Morphologicas formas irregulares tradit amplissime expositas quibus respondet numerata serie regularum alterum etiam exercitiorum volumen.

Adolfo Gandiglio. — *Nuovi esercizi latini vol. I per la prima classe Ginnasiale, seconda edizione riveduta.* — Nicolà Zanichelli. — Bologna.

Exercitia continet eaque copiosissima ac selectissima omnium regula-

ram quae traduntur in volumine *Morfologia regulari*. Invenies et sententias et versus Latinos regulas confirman-tes et proverbia et adagia, dicta etiam viris nobilibus attributa et locos continentes Latinos una cum locis Italicis in Latinum vertendis: sparguntur hac illac non nullae utiliores regulae et in fine duplex vocabularium et Latinum-Italicum et Italicum-Latinum omnium vocabulorum in volumine adhibitorum

Adolfo Gandiglio. — *Nuovi esercizi Latini vol. II per la seconda classe ginnasiale.* — Seconda edizione rifatta. — Nicolò Zanichelli. — Bologna.

Eodem modo procedit hoc volumen ac inmediate superius recensitum. Ad secundam classem gymnasialem destinatum pluribus adhuc eo gaudet pagellis (178) adjuncto postea etiam vocabulario. Utrumque exercitiorum volumen praeceptoribus omnibus Latinitatis, qualemcumque docebunt grammaticam, non mediocre commodum conferet.

Emm. JOVÉ, C. M. F.

Marouzeau, J. — *La traduction du Latin.* — Les belles Lettres, Paris p, 57 in IV maj. 1931.

Eximius hujus libelli auctor, quem litterarum cultores moderatorem ephemeridis «Revue d'études latines» optime norunt, suae de Latino sermone theoricæ scientiæ magnam consociat in docendi ratione peritiam. Opusculum quod commentarii numeri formæ adaequat et fini, normas tradit in linguam Latinam vertendæ vernaculæ aliæque id genus pauca. Neminem latebit qui erudiendæ Latinis litteris juventutis munus suscepit quantum olei et operæ frustra perdi posse in hujusmodi exercitiis nisi viam praeceptor sciens terat. In hoc ergo opusculo ille discet quam normam sequi

oporteat ut maximus inde profectus resultet.

Leander FANLO, C. M. F.

Malcovati, H. — *Oratorum Romanorum fragmenta.* — Vol. I, (p. 249), II, (p. 219), III, (p. 214), In aedibus J. B. Paraviae, Aug, Taurinorum.

Societas Paraviana quae veterum scriptorum paganorum et christiano-rum selectiora opera resensuit, assidua gaudet conlaboratione Henrici Malcovati; nam Caesaris Oct. Augusti fragmenta excussit et praefata est: Historicorum quoque Romanorum fragmenta conlegit: nunc vero hoc praeclarum opus in lucem edidit. Ante H. Malcovati non nulli auctores oratorum Romanorum quae supersunt fragmenta edere tentaverant. Primus quidem Henricus Meyer Oratorum Romanorum fragmenta conlegit atque illustravit. (Turici, a. 1842). Jacobus Cortese Oratorum Romanorum reliquias recensuit atque praefatus est, (Augustae Taurinorum a. 1892). Cum vero recentiora studia haec opera imperfecta et pluribus mendis scatentia demonstrarent, ut ea fragmenta, ad optimorum codicum fidem emendata, in lucem proderent. Opus Malcovatianum eruditorum optatis satis meo iudicio faciet. En tibi operis scopum et divisionem (ex praefatione): «Quod nunc demum confectum opus prodit, in duas divisum est partes: quarum in priore paucis de eloquentiæ apud Romanos historia praemissis, a vetustissimis iisque rudibus initiis ad finem usque liberae reipublicæ... de oratoribus qui eo temporis spatio flourerunt, singillatim disserui. Altera autem pars et veterum scriptorum testimonia et singularum cujusque orationum fragmenta continet, temporis ordine, quoad licuit, digesta, atque apparatu critico instructa».

Collomp.— *Critique des textes.* — Les Belles lettres, Paris. p. 128. 1031.

Quod auctori fuerat in optatis, ut nempe amplissimam materiam paucis complecteretur pagellis, efficit ut opus, aliunde laude dignum lacunis nonnullis scateat. Prima sola capita ad initiandos profanos in arte criticaee textuum dicantur, neque illos omnibus ad hoc necessariis cognitionibus instruit. Hinc litterarum studiosis recurrendum saepius erit ad Introduction (W. M. Lindsay) ad Editionstechnik (A. Stählin) cet.

Auctor desideratur bibliographia; in enumeratione (p. 4) desunt *Manuale* (Sabbadini) et *Recens developpements* (A. C. Clarck) Nihilominus libellus magna cum utilitate a viris doctis perlustrabitur. In duobus praecipuis capitibus criticam systematum M. J. Bedier et D. H. Quentin auctor instituit, cujus observationes fere cum D. Marouzeau conveniunt. (cf. Et. lat. t. IV, 1926, p. 255.)

Henricus MARTIJA, C. M. F.

Gaetano Curcio. — *Le liriche di Q. Orazio Elacco.* — Studio critico. Libreria Tirelli. — Catania, 1930.

Propositum Cajetani Curcii in huius operis confectione non fuit quidem inquirere fontes, aut genuinitatem textus vindicare, sed tantum nexum poeticum et formam et modum dicendi ob oculos ponere; paucis, animum Horatii explorare ejusque vocis post tot saeculorum tractum genuinos percipere sonus. Cujus rei gratia quidquid praesenti synthesisi psychicae, ut ajunt, poeticae influere potuerit, diligenter adfert; adjuncta scilicet historica, finem, personam cui poësis dicatur, cet... Cave tamen credas, auctorem omnia recensere carmina, quae ab Epodon libro ad IV Carminum clauduntur, sed aliqua praecipua, in XII

capita ordine materiae distributa; neque singulos versus commentando immoratur. Hoc igitur clari Curcii opus iis in deliciis erit, qui de Horatio, magistro liricae, bene senserint.

R. PASTÓ, C. M. F.

Florilegium Patristicum ediderunt B. Geyer et J. Zellinger.

VI. — *Tertullani Apologetici.* — Recensio nova. Ed. altera.

Apollogeticum ad Romani imperii antistites, inter omnes eminet quas veteres christiani adversus ethnicos scripsere apologias. Eo maxime ab aliis differt apologiis, quod christianos de iis potissimum incussationibus defendit, quae ad rem publicam spectant, scilicet de neglectu deorum Romanorum et de crimine laesae majestatis; itaque fit ut doctrina christiana in eo libro obiter tantum et defensionis causa tractetur, quod recte notavit Lactantius. (Inst. div. V, 4.)

Textus Apologetici in hac nova recensione propositus optimo Parisino codice nr. 1623 saec. X aptatur, non nullis tamen juxta Fuldemsem cod. et Montepessulanum emendatis locis. Fasciculus commentariis seu adnotationibus ornatur.

VII. — *Monumenta Eucharistica et Liturgica vetustissima.* Ed. altera.

Monumenta quae in hoc fasciculo continentur sunt: Testimonia sacrae scripturae, Didache, S. Justini apologia l. 65 67, Epitaphium Abercii, Ordo synoxis christiana ex Didascalia, Canon seu Anaphora Serapionis, S. Cyrilli catecheses mystagogicae S. Ambrosii liber de mysteriis, Ps. Ambrosii de Sacramentis libri IV, Liturgia quae dicitur Clementina, denique loci eucharistici breviores Clementis Rom. Ignatii Ant., Justini, Irenaei, Clementis Alex., Origenis, Dionysii Alex., Hippolyti, Tertulliani, Cypriani.

J. JIMÉNEZ, C. M. F.

Exercitationes Scholares

El avión y el auto

(Ann. II p. 119)

No te engrías soberbio en tus bienes y previene cauteloso tus peligros. En cierta ocasión (1) un auto y un aeroplano entablaron contienda con palabras duras sobre cuál de los dos (2) proporcionaba más provecho a la humanidad. La máquina voladora pretende se le den las primeras (3) distinciones de valor, como que transporta (4) héroes a lejanas regiones de la tierra, deleitando al propio tiempo desde el aire con la variada vista de los montes, de los valles, de los ríos y de los pueblos, poco menos que igualando en su carrera (5) a los pájaros y a los mismos vientos. «Das a tu soberbia más de lo justo», — respóndele la máquina rival. — A mí me pertenece una evidente ventaja en la honra y en las alabanzas. (6) Aunque me venzas un tanto en correr, yo en cambio conduzco mejor y con más seguridad, no apoyándome en el movable aire sino en el firme suelo. (7)

Cada cual emprende (8) su camino. Mientras el aeroplano transpone (9) las regiones etéreas con sus ligeras alas, se levantó (10) el viento y cayendo destrózase horrorosamente.

Se ríe con malicia el automóvil agitando las movidas llantas de sus ruedas; mas luego el malvado padece un revés de fortuna, pues cayendo de un puente derruido se rompe desastrosamente.

ELEUTERIO BRIONGOS

Notulae

(1) *Dies*: femino jungitur generi cum tempus indeterminatum exprimit, aliter masculino. (2) *Utrum*: subjectum orationis ex *uter utra utrum*. (3) *Prima*: corrige *primas*. (4) *Advectet*: in subjuncti-

vo quia mens alterius, non propria ostenditur. (5) *Terrarum cursibus*: plurale melius dicitur quam singulare. (6) *Honoris laudumque*: genitivus determinativus. (7) *Mobili aurae sed firmo solo*: in dativo ob praefixam verbo praepositionem *in*. (8) *Utrimque*: idem est atque hinc inde seu ab utraque parte et saepe pleonaticè ponitur. (9) *Trano*: ex *trans* et *no, nas, nare*, translate sumptum. (10) *Oborto vento*: postquam ventus est obortus.

Vulpes et Rubus

(Ann. II, p. 119)

Vulpes cum in saepem ascendisset lapsa cecidit, manusque in rubum (1) injecit hujus auxilio praesidioque statura. (2) Sentibus (3) pedes laesos (4) magno-pere doluit ruboque dixit: Heu mihi! Ego ad te sicut fautorem confugeram et tu (5) valde crudeliter mecuni egisti. Respondens alter: misella — inquit — me capere voluisti qui (6) omnes apprehendo.

Haec fabula nos admonet similiter stultos esse qui eorum opera cupiunt uti quorum est (7) alios injuria laedere.

Reginus GONZÁLEZ

Abulae, X, Kal. Majas.

Notulae

(1) *In saepem... in rubum*: accusativus motus. (2) *Statura*: ut staret. (3) *Sentibus*: ablativus instrumenti. (4) *Pedes laesos*: accusativus post verba affectiva, ubi subaudiendum *propter*. (5) *Ego... tu*: ponuntur haec pronomina in oppositis membris. (6) *Qui*: pro *cum*. (7) *Quorum est*: proprium, nativum...

Compositiones Vertendae

Nasica y Enio

Nasica fué a visitar (1) al poeta Enio. Al preguntar por él, (2) una sirvienta le respondió que no estaba en casa. Nasica conoció que la criada le había dado esta respuesta por orden de su amo, (3) y que Enio en realidad (4) estaba allí. Retiróse aquél sin insistir (5), pero algunos días después Enio a su vez fué a ver a Nasica y pidió por éste. Entonces Nasica le gritó desde dentro: Yo no estoy en casa. ¿Cómo—respondió Enio—no oigo yo tu voz? Por cierto que me es más conocida que otra alguna. V. me ofende—replicó Na-

sica—Hace poco al preguntar yo por V. he creído a su sirvienta que me ha dicho que no estaba V. en su casa, y V. no me cree a mí?

Notulae

(1) Ir a ver, a visitar *visere, convenire aliquem*. (2) Preguntar por alguno *rogare de aliquo, arcessere aliquem*. (3) Por orden de su amo *jussu eri*. (4) En realidad *re quidem vera*. (5) Sin insistir *neque institit*.

Serpens et Elephas

Dolis saepe suis digne (1) confoditur (2) scellus.
Apud Indos (3) serpens magnus et longissimus dicebat parvulis gloriāns serpentibus vel ipsi elephantī, licet immani belluae se posse interitum ferre. Tum audacississime sub umbra stantem adoritur et volubili (4) recingit corpore. Nullis alter motibus nisique nullo velle se resistere insimulat prudens; et quantum fieri potest attenuat corpus, ac tam patuli (5) abdominis coarctat orbem; nexu spirisque tegitur. Malignus hostis, magno tum conamine volumina (6) stringens, atram nititur ad necem. Ast elephas, subitam promens fortitudinē, distendit corpus, inflatur mirum in modum, rumpitque spinam colubri; tum vero excutit (7) nodos abruptos: postremum dextro pede incumbit victi capiti frangitque cerebrum.

ROCCI S. J.

(1) Digne *justamente*. (2) Confodio *castigar*. (3) Apud Indos *en la India*. (4) Volubili *dáctil*. (5) Patulus *ancho*. (6) Volumen *anllio*. (7) Excutio *sacudir*.

Prof. Emmanuel Jové, C. M. F.

Moderator

Typographia F. Camps Calmet. — Tarrega